

*Q. F. F. q. S. I. uniuersitatis*  
EXERCITIUM ACADEMICUM,  
*DE*  
**NOTIONE  
TEMPORIS,**

*QUOD,*

*Permittente Ampl. Facult. Philos. Reg.  
Acad. Aboënsis,*

*MODERATORE*

**CAROLO FRIDERICO  
MENNANDER,**

*Scient. Nat. PROFESS. Reg. & Ordin. PASTORE  
in Rändämäki, & Scientiarum Acad.*

*Holm. MEMBRO,*

*Publico examini modeſte offert*

**ISAACUS JOH. JUNNELIUS,**  
*OSTROBOINIENSIS.*

*In Audit. Acad. Majori, S. D. V. Die *XVIII* Decemb.*

*H. A. M. S.*

*Anni MDCCCL.*

---

*ABOÆ, impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB. MERCKELL.*

Plurimum Reverendo atque Praclarissimo  
DOMINI NOSTR JOHANNI  
JUNNELIO,  
PASTORI Uhlöensium meritissimo,  
PARENTI OPTIMO.

**T**emporis omnis mei, per quod de Parente indefessam felicitatis moe curam gerente, mihi met gratiarum licuit, pie memor; occasionem hancce temporis progeniem eo majori exosculor affectu, quo ardenter penes me jam dudum adfuit, temporis, quo operam literis navavi, & sumtum in me collatorum, rationem qualitercumque redendi desiderium. Semper quoque teigere animum revelationis & rationis de officiis Filii erga Parentes dictaminum recordationes crebrae. Hinc vois expetivri diem, quo tacitos hic usque pectoris motus evolvendi suppeditaretur ansa, & quantum Tibi, Parens Optime, debeam, palam profitendi. Sed dum cogito & recogito, quanta Tua sunt in me beneficia, quod Tibi vitam, tempus & omnia debo, quo me vertam nescio. Tantis enim meritis, quibus majora nec sperari nec obitneri possunt, rite celebrandis, nedum compensandis, me prorsus imparem sentio. Ob defectum itaque redhostimenti sufficiens mea ex

ex parte, rubore suffundor. Altera ex parte mens ven-  
erationis plena a Parente Optimo, beneficiis cumulatum  
me esse, magnopere latatur. Eo major & candidior est  
pietas referenda gratiae, quo sereniori res tennes libero-  
rum Parentes adspiciunt vultu. Et licet nihil habeam,  
quod Tuo in me respondeat affectui, nullus tamen dubito,  
quin conatus hos philosophicos, quos velut gratissimi ani-  
mi interpretes Tibi offero, benigno sis excepturus vultu;  
vel ideo, quod ita major mihi additur stimulus, matu-  
riora aliquando offerendi venerationis documenta. Meum  
interim erit, Nestoreos Parenti Optimo exoptare an-  
nos, & ut in adventante senectute semper valeat, vi-  
geat & floreat, votis expetere calidissimis. Ero ad  
cineres

**NOMINIS PATERNI**

Cultor obedientissimus,  
**ISAAC JUNNELIUS.**

RÅD- och HANDELSMANNEN i Tornēā,  
Högvälachtad  
**Herr MÄRTEN RECHARDT,**  
Günstige Gynnare.

HANDELSMANNEN i Uhleā,  
Högvälachtad  
**Herr PETER JUNNELIUS,**  
Min Högtärade k. Farbroder.

J Ag wet, at tacksamhet altid bör wisa sig få stor, som wäl-gärningarna hafwa warit; och finner därav, at et litet pappersblad aldrig kan opväga mot de många wärckeli-ga godhets prof, dem J, mina Gynnare, emot mig er-tedt. Min afficht går altså icke längre, än at å daga lagga min wilja, at med något emot Eder ertedda gunst swarande, förklara min tacksamhet; och at bekänna min osörmogenhet därtil. Eders sionelag gör mig försäkrad, at J optagen et sällan rent upfat för siefwa giärningen, och at J anseen dessa blad, såsom en underpant af mitt förbundna sinne. Näst än-skjan af allskiöns fällhet för Eder och Edra hus, framleves

*Mine HERRARS*

ödmjuk och hörsamste  
tjenare,  
ISAAC JUNNELIUS.

# MONSIEUR,

**L**a politesse de l' esprit nous met en etat de penser d'  
une maniere fine & de nous exprimer avec delicateſſe.  
Pour vous, Monsieur, vous avez trouve le ſecret de po-  
litre votre eſprit, par quantite de belles ſciences, & quand me-  
me on ne le ſauroit d' ailleurs, votre ſavante Diſſertation  
ſuffroſt pour en convaincre tous les connoiffeurs.

Vous vous occuez à diſtinguer le tems reel d' avec l'  
imaginaire, & vous montrez avec beaucoup de ſavoir com-  
ment on doit s' accommoder au tems pour le bien employer.

Car toutes choses ayant leur tems il faut faire chaque  
chofe en ſon tems & lieu, rien hors de ſaison, ni devant le  
tems, à moins, qu' on ne veuille perdrer ſes heures & travail-  
ler en vain à la façon de ceux, qui s' amufent à des choses  
inutiles & negligent le principal.

Par exemple : Y a-t-il du vnuide dans la nature ? Tous ces  
vastes globes, qui roulement fur nos têtes, ſont ils habiés par des crea-  
tures, ou ne le font ils pas ? Quel est leur nombre, & quelle est la  
matière dont ils ſont composés ? Quels font les premiers prin-  
cipes de tous ces corps organiques, que nous voyons icibas ?  
Quel eſt le langage, des bêtes ? Sur ces questions il fe-  
roit inutile de faire des recherches & d' y emploier bea-  
coup de tems.

Tout

Tout le monde doit convenir , que vous avez , Monsieur , fort joliment mis à profit votre loisir & le peu d'années , que vous avez passé à l'université.

Vous voudrez donc bien permettre , que je me trouve du nombre de ceux , qui viennent vous en faire leurs compliments . Sans beaucoup de verbiage , je me contenterai Monsieur , de vous dire en general , que je vous desirer toutes les prosperités & satisfactions , qui peuvent combler vos désirs , & vous rendre aussi heureux , que je suis parfaitement ,

MONSIEUR,

Votre tres humble serviteur  
& fidele ami,

JACOB MALMSTEN.



I. N. 3.

§. I.

**Q**UAM frequens & familiare est, in communī sermone, temporis vocabulum, tam variis quoque genuina ejus notio involuta fuit difficultatibus. Antiquiores enim Philosophi, ut alibi plerumque, ita etiam hoc in negotio, de plena & distincta rerum cognitione parum solliciti, ideas vulgares & confusas in distinctas convertere vel prorsus neglexerunt, vel, sensuum judiciis nimis stantes, notiones imaginarias a realibus discernere non didicerunt. Atque hinc neque mirum est, in varias adeo ipsos, de notione temporis, abiisse partes. Animam cœli tempus appellavit *Pythagoras*; ambientis vero cœli sphæram, veteres in hoc puncto sequutus, *Plutarchus*. Idem ex æternitate ortum esse, productis sole, luna, & quinque stellis erraticis, sive planetis, quibus ipsius distingvatur numerus, docuit *Plato*. *Aristoteli* & Scholastico-rum turbæ tempus fuit numerus motus secundum prius & posterius; *Stratoni* mensura motus; aliis denique siderum motus, aut totius universi. Ab his non multum discedunt, qui tempus aut numerum motus in genere, cum *Cartesio*; aut intervallum motus cœlestis

A

cuma

cum *Scaligero*; aut phantasma motus, quatenus in ipso prius & posterius imaginamur, cum *Hobbeso*, dicunt. Hæ vero, & quotquot similes sunt, temporis definitio-nes, imaginarium duntaxat & relativum respiciunt tem-pus; interiorem ejus naturam non afficientes, nedium exprimentes. Hinc variæ, de tempore, ortæ sunt con-troversiæ; adeo quidem difficiles visæ *Augustino*, ut iis permotus, quærenti a se, quid tempus sit, explicare se id posse negaverit. Eandemque ob caussam inter ob-scura simplicia tempus retulit *Sturmius*. Maxime vero quæstiones: an tempus sit reale quid, vel prorsus ni-hil? An extra conceptum mentis detur in rerum natu-ra, vel merum sit ens rationis? An porro sit substantia vel accidens, & an sub categoriis Aristotelicis contine-a-tur? An *nunc* sit pars temporis, & an *huius* aliqua vis sit ad res generandas, vel mutandas & corrup-tendas? &c. mirum in modum Scholasticorum torserunt cere-bella. Tempus corporeæ naturæ esse, ex natura sde-rum tempus dimetientium, conclusit *Heraclitus*. Sto-eis & Epicureis eventus eventuum & accidens acciden-tium habebatur. Recentiores vero, qui tempus vel per durationem successivam æquabiliter fluentem cum *Newtono* & *Cartesianis*; vel per ordinem, sive successio-num, sive mutationum, sive successivorum continuum, cum *Leibnitio*, *Hanschio* & *Wolffio* definiunt, tempo-ris realis rationem potissimum habent. Nos genuinas temporis & realis & imaginarii notiones, quantum in nobis est, tradituri, tuum, l. b. expetimus favorem.

## §. II.

**Q**Uæ nobis, quocunque in vastissimo hoc orbis theatro oculos convertimus, occurunt entia finita, in eo convenient singula, quod & alicubi sint, quatenus vere & realiter extra conceptum mentis existunt; & præterea quoque vel aliquantis per perdurent; cum impossibile sit, idem, eodem indivisibili puncto vel momento, oriri, esse & interire; idem enim simul esse & non esse nequit. Atque sic ipsa rerum finitarum existentia ideas spati & temporis involvit. Quæ enim coexistunt, vel simul alibi existunt, *simultanea* vel *cōexistentia* dicuntur; quemadmodum *successiva* audiunt, vel ipsæ res vel earum determinationes intrinsecæ, quarum una, altera desinente, existere incipit. Uti vero ex plurium cōexistentia vel cōexistentium relatione, spatii idea; sic ex plurium successione, vel successivorum collectione, notio temporis oritur. Cum vero simultanea & successiva determinato modo, principio scilicet contradictionis aut rationis sufficientis convenienti, sibi mutuo cōexistant vel se invicem consequantur, identitatem modi in cōexistendo vel succedendo semper servant. Illa autem identitas modi, quo res cōexistunt, vel sibi invicem succedunt, ordo philosophis dicitur. Hic ergo ubique obtinet; & ordine successivorum, qua talium, idea temporis, quemadmodum ordine cōexistentium qua talium notio spati constituitur. Plenam vero temporis notionem sequenti modo formamus.

## §. III.

**S**I in serie continua successivorum, a. b. c. d. &c. attendentes ad ipsam successivorum successionem,

existentiam unius ab existentia alterius, existentiam scilicet  $\tau\alpha$  a ab existentia b, & sic porro, distingvimus, quatenus nimirum successiva illa simul existere repugnat, sed se invicem eo ordine consequuntur, ut a sit primum, b secundum, & sic porro: & simul observamus, in successionum serie b immediate excipere a, vel consequi illud, ut  $\tau\alpha$ s aliud quidpiam, quod involvit in serie continuas, interponi nequeat; pariterque post b immediate poni c, aliud intermedium excludens, &c. præterea que animadvertisimus, b eadem celeritate excipere a, qua c succedit ipsi b, ut eadem sint successionum momenta, nec tardius nec celerius unum, b consequatur alterum a, quam c excipit b, & sic porro; in serie ista successivorum deprehendimus ordinem, quem temporis nomine compellamus. Est adeoque tempus ordo successivorum in serie continua æquabiliter succendentium, qua talium. Illustratur notio hæc cursu globi, fluxu aquarum, ventorum, aliarumque rerum, quæ in continuo sunt motu.

## §. IV.

**P**ositis ergo successivis ponitur tempus; his sublati tollitur. Ordo enim successivorum concipi nequit sine successivis. Differt tamen tempus tum a rebus successivis ipsis, tum ab existentia earundem; diversus enim est rerum ordo ab ipsis rebus earumque existentia. Hinc ens, in quo nullæ dantur successiones, temporis est expers; omne vero mutationibus obnoxium temporis est capax.

## §. V.

## §. V.

**T**empus hoc non est ens rationis, nec rerum nihil aut non ens, quod putarunt nonnulli; est enim ordo rerum. Neque tamen absolute positivum quid, hoc enim si esset, Deo enti infinito competenter, quod abs nonum; Deus enim, uti successionis sic & temporis expers, cōexistit tempori. Nec est substantia, propria in rerum serie gaudens existentia; non enim datur sine successivis. Nec attributis rerum est annumerandum; hæc enim sunt necessaria, ipsisque rebus, quamdiu regno possibilium adhuc insunt, conveniunt; cum de rebus in statu possibilitatis tempus prædicari nequeat. Sed est accidens rerum perpetuum & inseparabile, cuius initium ponitur posita entium successivorum existentia vel duratione entis alicuius successiva. Ex his porro intelligitur, differre tempus ab ipsis rebus & earum existentia, ut accidens a subjecto, vel numerus a numerato.

## §. VI.

**P**ræterea, cum ordo qualitatibus, non vero quantitatibus annumerari debeat, tempus inter qualitates referendum est; atque hinc ejus sequitur immeasurabilitas, quod nimirum alia ratione mensurari nequeat, quam qua mensurantur qualitates. Hæ nimirum non ipsæ, sed earum quantitates propriæ mensurantur. Neque partibus constat actualibus; non enim ut compositum, sed ut affectio rerum confideratur, adeoque tantum assignabilibus, quæ per existencias rerum actu designantur. Si conciperentur partes

tes temporis actuales, propriis inclusæ terminis, quidquam a tempore diversum iis interponere possibile esset; id vero notioni temporis repugnat, quæ est ordo successivorum continuus.

## §. VII.

**T**empus in *possibile* & *actuale* commode potest distingvi, cum ordo successivorum possibilis vel *actualis* sit. Tempus possibile nudam ordinis successivorum possibilitatem, vel possibilium, si ad existentiam pervenerint, se invicem ordine continuo succedendi aptitudinem infert, quemadmodum numerus nudam multitudinis possibilitatem indicat. Tempus vero *actuale* ipsis successionibus determinatur; estque adeo ordo *actualis* successivorum qua talium, in serie continua æquabiliter sibi invicem succendentium. Cum autem ordo *actualis* in possibili funderetur, nec impossibile existere possit, tempus *actuale* possibile supponit; & quicquid de possibili in genere, id etiam de tempore possibili valet.

## §. VIII.

**D**uratio est perseverantia in existendo, seu existentiæ continuatio. Existentiam vero continuare dicitur, quicquid non eodem ipso momento, quo est, esse definit. Est duratio hæc vel *permanens*, omnisque successionis expers, adeoque sine initio & fine, quæ Deo infinito propria, æternitas dicitur; vel *successiva*, quæ aut initium habet, non vero finem; aut habet utrumque. Illa animæ immortali, spiritibusque omnibus convenit, ævumque audit. Hæc finitis omnibus communis,

nis, tempus appellatur. Durationem absolutam distin-  
ete concipere nequit intellectus noster limitatus, unde  
eam ad alia successiva coëxistentia refert, indeque dura-  
tionem concipit, ut existentiam pluribus successivis si-  
multaneam, sive existentiam, qua quid pluribus se mu-  
tuò excipientibus coëxistit. Sic, ex. gr. durare dicimus  
A, si pluribus, a. b. c. &c. in serie continua succeden-  
tibus coëxistit. In duratione successiva omni tria mini-  
mum existentiæ momenta distingvere licet; dividi enim  
potest cuiuslibet rei finitæ duratio in prius, posterius,  
& punctum divisionis, §. 2. Notio durationis, quam  
exposuimus, relativa maximam in doctrina de æternita-  
te Dei facessere solet difficultatem, iis vel imprimis,  
qui sensibus imaginationique nimium indulgentes, nul-  
lam sine successione durationem concipiunt. Sic, ad-  
harentes notioni durationis relativæ successivis tantum  
conveniente, *Clericus & Hollmannus*, non possunt non  
cum Socinianis durationem Deo tribuere successivam,  
rationi & revelationi adversam. Quas evitaturus diffi-  
cultates *Ant. le Grand*, durationem Deo, enti necessa-  
rio, convenire prorsus negat. Ante existentiam succes-  
sorum duratio Dei fuit quæ diversa est a duratione re-  
rum finitarum omnium; infinita nimurum, perfectissima,  
immutabilis, omnisque successionis expers. Talis quip-  
pe cuiusque rei duratio sit oportet, qualis ejus natura  
est & indoles; talem vero, qualem diximus, inferunt  
attributa divina, infinitudo, necessitas & immutabili-  
tas. Duratio seu æternitas Dei est continuum & stabile  
suum, sine differentia præteriti & futuri; sive intermina-  
bilis

bilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Quam *Platonis*, *Boëthii* & *Cudworthi* sententiam adoptarunt Philosophi & Theologi saniores omnes. Cfr. Pl. XC. 4. CII. 28. 2. Petr. III. 8. Hebr. XIII. 8. quamvis modum durationis istius ignoremus. Ut qui nave vehuntur, silvas, littora &c. adventare adesse vel fugere putant, dum ipsi ja-  
ctantur; ita nobis, qui fugaces sumus, adventare, præterire & fugere videtur stabilis æternitas.

## §. IX.

**E**xposita §. 3. seq. temporis notione reali, ad ideam illius imaginariam evolvendam progredimur. Cum tempus possibile concipi queat, etiamsi nullæ res existant, & res successivæ, remota earum existentia, maneat tamen in statu possibilitatis & ab ipso tempore diversæ, §§. 4. 7. imaginatio fluxum quendam continuum sibi repræsentat, quem cum notione temporis reali confundens, remotis licet successivis, tempus superesse fingit. Præterea, cum existentibus simultaneis & successivis non repugnet, plura a, & quod ei succedit, b, quodque hoc consequitur, c, coexistere eidem A, quod ipsum a durare dicitur, quatenus successivis, a, b, c, coexistit, §. 8. id vero, quod in duratione vel tempore respondet A, simul respondere videatur a, b, c. conjunctim sumtis; Tempora horum ut partes temporis ipsius A concipi mus, & hinc tempus dividimus in partes totum constituentes, interminatas & similes; adeoque per notionem communem imaginariam, tempus concipi mus ut extensum continuum, uniforme, in solam lon-  
gitudi-

gitudinem exorrectum, divisibile & a rebus ipsis diversum; vel ut compositum constans ex partibus successivis, continuis, non nisi numero differentibus, distinctum a rebus successivis, cui res coexistunt, & quasi in hoc receptaculo durant. Unde formulæ loquendi: esse in tempore; tempus venit, abit, labitur. Habet idea hæc temporis imaginaria in ipsa ejus natura reali fundatum, quod quamvis ex dictis jam constet, facile tamen ulterius commonstrari potest. Omnis duratio successiva momenta seu partes involvit, continuo se excipientes, §. 8. ex partibus vero continuis seu conterminis oritur extensum, non ergo male per extensum sive compositum continuum repræsentatur tempus. Dividi igitur ipsum potest in tempuscula, momenta sive duratiunculas minores, quarum successivo ordine tempus reale exhibetur, quod posita rei successivæ existentia ponitur. Hæ particulæ seu momenta non possunt non sibi mutuo similia esse, & æquabili motu sibi invicem succedere; spectatur enim hic sola existentia continuatio, præcisissimæ prædicatis reliquis omnibus; neque de existentia in se spectata tardius vel velocius, vel alia quæcumque diversitas, prædicari potest. Non ergo inepte tempus ut extensum vel compositum continuum, uniforme, æquabiliter productum concipitur.

## §. X.

**C**Um tempus imaginarium sit extensum in solam longitudinem exorrectum, illud recte repræsentatur per lineam, quæ motu puncti continuo gignitur. Quemadmodum enim lineam, per fluxum pun-

Eti vestigia exprimentis, generari concipimus; sic tempus repræsentamus tanquam momenti, motu æquabili continuo labentis, vestigium in solam longitudinem emensum. Extensioni igitur temporis unica, uti spatii tria tribuitur dimensio. Extensio spatii concipitur ut permanens; temporis vero sub idea distantiae intereuntis, cujus partes simul non existunt, sed aliae alias successive excipiunt. In hoc vero convenit utriusque extensio, quod utraque sit uniformis, h. e. partibus similaribus, numero tantum differentibus, iisque conterminis & solummodo assignabilibus, constans. Et quemadmodum quælibet pars spatii est spatiuum, ita quælibet pars temporis est tempus.

## §. XI.

**T**empus *absolutum* est duratio successiva entis cuiuscunque in se spectati, & absque relatione ad alia entia; seu est ordo successionum in serie continua æquabiliter succendentium, cujuslibet entis in se spectati. Determinatur hoc sola existentia entis, successiva duratione prædicti, absque ulla relatione ad motum, vel nostras cogitationes, vel alia quæcunque entia. *Tempus relativum* huic oppositum, est determinata successivorum in serie continua æquabiliter succendentium ad alia successiva ratio, modo quocunque investigabilis. Tempus hoc relativum ex absoleuto ita dependet, ut sine hoc illud dari nequeat. Posito ergo relativo ponendum est absolutum; sublatto hoc tollitur illud, non vero contra. Ens enim unum finitum successivum potest concipi existere, licet alia tollan-

tollantur, ad quæ successionis ejus ratio potest exprimi. Collatis definitionibus intelligitur, tempus absolutum reale esse, vel sub hoc contineri. Illud enim ordinem successionum cuiuslibet entis; hoc vero successivorum ordinem in genere, dicit.

## §. XII.

**C**UM A durare dicatur, quatenus successivis, a. b. c. coëxistit, §. 8. harumque durationes ad instar partium durationis τ<sup>ς</sup> A, adeoque huic homogeneæ considerentur; duratio unius entis finiti A, per durationem aliarum rerum a. b. c. mensurari potest. Est enim metiri, quantitatis alicujus rationem ad aliam quantitatrem pro unitate assuntam exquirere. Si ergo mensurabitur tempus, cum illud, in conceptu suo reali, nec partes habeat, nec magnitudinem, nec denique ullam admittat mensuram, §. 6. necesse est, ut sub notione imaginaria exhibeatur, ut extensum continuum, uniforme, divisibile & a rebus diversum, vel ut vestigium momenti, continuo & æquabiliter fluentis, §§. 9. 10. illiusque ad motum æquabilem, sua quoque præditum quantitate, determinetur ratio. Et sic tempus absolutum sub imagine exhibitum mensurabile redditur & relativum. Mensuratur nimirum motu æquabili objecti cujuscunque, quod ad instar puncti consideratum, ponitur incedere in peripheria circuli, in partes quotcunque æquales divisa; quæ enim existunt in universum omnia motui illius corporis seu puncti per singulas peripheriæ partes, coësistunt; unde eorum duratio motu isto determinatur.

tur. Exemplo sunt horologia, atque revolutiones solis in ecliptica. An vero pro mensura temporis motus detur exacte æquabilis, nostrum non est definire.

### §. XIII.

**A**ttendentes ad ordinem successivorum, deprehendimus, omnia in universo nobis cogitantibus aut coexistere; aut ad statum actualitatis, quo nobis coexistere possent, nondum pervenisse; aut antea quidem una nobiscum extitisse, jam vero in pristinum meræ possibilitatis statum recidisse. Atque hinc oritur communis illa temporis divisio in præsens, præteritum & futurum; in eo simul fundata, quod duratio entis finiti dividi possit in prius, posterius & punctum divisionis, §. 8. Est autem tempus præsens, momentum quod designatur existentia entis jam actu existentis. Præteritum designatur existentia rerum, quæ existere desierunt, & in statum possibilitatis pristinum redierunt. Futurum, quod designatur existentia rerum extituarum. Cum autem partes temporis nullæ sint, nisi quæ per successiva designantur, quæ vel existunt, vel extitura sunt, vel extiterunt, tempus omne erit præsens, præteritum vel futurum. Præsens fit præteritum, futurum præsens; sicutque venit, labitur & fugit irreparabile tempus. Præteritum enim, eodem respectu sumptum, nunquam fieri potest futurum. Cum vero tempus, intuitu certi cuiusdam puncti quod assumitur, præsens, præteritum & futurum dicatur, facile intelligitur, his aliquid relativi semper involvi; ut quod uno respectu præsens,

sens, altero præteritum vel futurum dici possit. Nostro concipiendi modo tempus præsens in puncto indi-  
visibili consistit, adeo ut quod punctum lineæ, idem  
præsens temporis sit. Illud non pars lineæ est, nec ta-  
men hæc sine illo concipi potest. Sic præsens non qui-  
dem pars temporis est, ab eo tamen omne tempus de-  
pendet.

## § XIV.

**T**empus porro dividitur in *internum & externum*. Illud successionibus idearum, hoc motu corporum cœlestium, determinatur. Hoc in fine mundi, entibus finitis & corporibus cœlestibus sublatis, tollitur; illud vero, animam immortalem concomitans, sine fine & in infinitum, permanet. In somniantibus, lætis & anxiis, &c. miræ diversitatis temporis interni exstant exempla. Sed temporis ipsius postulat ratio, ut heic vela contrahamus.

S. D. G.

